



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

De caeremonijs, quae in Baptismo adhibentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Verum grauissimè Parochus monebit, quàm grauius illa peccent, si quado mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent.

Quamobrem illud etiam interdum opportunè nunciabit, vt cum mulier prope paritara ægrè se habet, de eiusque partu timetur, studeat in primis Parochum in tempore accersere: aut, si eum habere non potest, aliquem ex ecclesiasticis ministris, aut deniq; virum laicum baptizandi peritum in promptu habere: vt ne obstetricibus fœminis, nisi in summa necessitate, cui aliter prouideri nullo modo potest, baptizandi locus vnquam detur.

Parentes autem omnino caueant, nè liberos suos baptizent absque manifesta necessitate, cum scilicet alij quoquo modo apti non adsunt, & periculi virget necessitas, quod ipse etiam monebit, prout vsu aliquando venerit.

#### De modo ministrandi Baptismi.

**M**inistratur Baptismus triplici modo, immersione, infusione aquæ, & asperzione. Sed immersionis modus cum antiquissimi in sancta Dei Ecclesia instituti ritusq; sit, idemque in ecclesia Ambrosiana perpetuò retentus: ab eadem mergendi consuetudine recedi non licet, nisi imminens mortis periculum intert; tumq; vel aquæ infusione, vel asperzione ministrabitur, seruata illa stata baptizandi forma.

Ad aquæ baptismalis infusionem, non manus, sed vas ob eam causam paratum adhibebitur.

Id Parochus mergendo seruabit, vt ab eâ parte fontis baptismalis stet, vbi directo obtutu orientem spectet.

In immersione hoc seruabit, vt infantis latera manu vtraque firmiter excipiens, illi supini occiput ter mergat: primò dicens, [In nomine patris, iterum, & filij, tertid, & Spiritus sancti.] Quæ in immersione animaduertet, vt dum mergit, infantem nè lædat, at aquam verè illius occiput immersione tangat.

Si quando autem duo, pluresve infantes Baptismo offeruntur, eorum

vnicique exorcismum, catechismum, & reliquas stas ceremonias separatim adhibebit: super ijs tamen simul orationes dicere poterit, numerumque commutare vbi opus est, vt pluribus conueniat.

Infantibus autem oblati, partim maribus, partim fœminis, separatim, atque ordine ministrabit, maribus scilicet primò, & deinde fœminis, mutata nominis verbiq; ratione pro sexu genere.

Et verò quod in Ecclesia Ambrosiana veteris instituti, & consuetudinis est, decreto etiam prouinciali renouatum, vt infantes in hebdomada authentici nati, Sabbato sancto ad Basilicam Metropolitana; & qui item hebdomada Pentecosten proximè antecedente in lucem editi sunt, ad eandem Basilicam Baptismo offerantur; id vnusquisque Parochus seruet; vt ijs solenni ritu huius ecclesiæ Archiepiscopus Baptismum ministraret. A qua solennitate, quæ Archiepiscopalis muneris est, alius omnis, vel Archipresbyter, vel Prepositus, vel Parochus, tam vrbis, quàm diœcesis abstinerebit.

Prou. 4. tit. que pert. ad sacrâ. bapt. pag. 135. 6.

#### De ceremonijs, quæ in Baptismo adhibentur.

**R**itus, ceremoniæ, & solennitates, quæ in Baptismo adhibentur, eius modi sunt, quas omittere nefas est, nisi cum baptizandi necessitas instat.

Quamobrem Parochus cum illas, tum earum mysteria, & significationes rectè tenebit, vt & religiosè riteq; hoc sacramentum ministraret; & peritè pieq; earum mysteria fidelibus exponat.

Has autem stas ceremonias sacerdos cum Baptismum ministrabit, numquam planè omittet, nisi quando ob necessitatem ministrabit.

Atque omnes quidem hæ ceremoniæ precationesque ad tria capita rediguntur.

Aliæ enim sunt, quæ antequam accedatur ad Baptismi fontem, seruantur: aliæ, quæ cum ad ipsum fontem ventum est, adhibentur: & aliæ præterea, quæ præterito iam Baptismo addi solent.